

INDEX
Alphabetico & Voluminis.

A.

De Anigmatis legum
Apicibus juris. 2.
Anno novi iustitia. 3.
Angelorum iure. 16.
Abentmagel drecte. 22.
Artifice voluptatis. 25.
Aschermill wörse. 10.
Abraham drecte. 18.
Arborum iure. 34.
27.

B.

De Baptismi iure 24.
Baum drecte. 27.
Blumen drecte. 26.
Bono publico privatorum
bonis preferendo. 38.
Bonorum omnium iustitia 37.

C.

De Clyped militari. 11.
Circis signo, Creuzzeit 15.
Capite jejuniij Aschermill 18.
Canicularibus diebus. 21.
Christfest drecte. 23.
Cana sacra iure. 25.
conventionem prohibita Ma-
gistratibus cum subditis. 28.
collestarum iure. 36.
culpa propter imputatorem 40.
censu protestationis. 43.
controversa Theres. 41.

D.

De diebus canicularibus. 21.
Decanis. 30.
Decremento. 19.
Dignitatis pristinae memoria. 9.

E.

De Embria felici. 8.
Eo quod pendet. 29.
Embryonum iure. 35.
Eides wiederseimgebung. 45.
Engel drecte. 27.

PROGRAMMA
IO. PHILIPPI SLEVOGTII, D.
in Academia Ienenfi antecessoris, Col-

legiique iuridici hoc tempore Decani

Premissum cursoriae lectioni.

IENÆ, M DC XCI

Litteris GOLLNERIANIS.





AMETSI nullum virtuti
theatrum maius conscientia, neque
illa externi splendoris indiget, sed
diuitiis suis animosa, satis sibi existi-
mat, meruisse honores laudesque:
natura tamen inditi nobis sunt taciti stimuli, qui-
bus ut praestemus aliis, & huius praerogatiuae testi-
monia, id est, honores ac laudes expetamus, blan-
da quasi vi incitamus. Nec temere cecinit Sul-
monensis vates, multis e millibus vix vnum fore,
qui virtutem solam sui pretium arbitretur. Con-
tra ea ingens in humanis habetur bonum, emine-
re inter praclaros viros, & in exemplum aliis osten-
tari. Quid quod disertissimum Romuli nepotum
eo abripuit gloriae auiditas, ut non captaret mo-
do occasionem omnem, se ac facta sua praedicandi;
sed nec in veris laudibus acquiesceret? Quod te-
statur illa egregia, utque ab auctore ipso alicubi
appellatur, *valde bella*, ad L. Lucceium, historia-
rum scriptorem, epistola. Quum enim in ea petiis-
set, ut de rebus a se in consulatu gestis Lucceius se-
paratum volumen conficeret, easque posteritati
commendaret: *Quid, inquit, si illa (mea) tibi non
tantopere videntur ornanda? Sed tamen, qui semel
verecundiae fines transierit, eum bene & nauiter oportet
esse impudentem. Itaque te plane etiam atque
etiam rogo, ut & ornas ea vehementius quam for-
tasse sentis, & in eo leges historiae negligas: amo-
rique nostro plusculum quam concedet veritas,*
lara

largiare. Quantillum porro distat ab inertia virtus, si quasi submergatur tenebris, neque in lucem proferatur? certumque est, contemptu honorum, ac famæ, virtutes ipsas contemni. Ac licet specie modestiæ blandiantur, & cum regulis Christianæ doctrinæ prorsus videantur convenire *μικροψυχία* & *ἀφιλομία*; nec accusari turpitudinis queant, docente Aristotele: excedunt tamen modum in fuga honorum, & omnino habent, quod non debeat probari. Vnde Stagyrites non quidem *κακοποιόν* ait esse *μικροψυχόν*; esse tamen *ἡμαρτημένον*. Nam & suspectum se reddit animi degeneris, ac male sibi conscii; eoque nec honores ullos merentis: & ignorare censetur se ipsum ac sua bona: plurimas etiam omittet occasiones præclare rem gerendi. Interim multis modis *μικροψυχός* ille, ille *ἀφιλόμιος* præferendus homini superbo inflatoque. Hic quippe & ignorat se ipsum, & ignorantiam sui turpiter prodit; adeoque sine dubio vecors est: alter specie prudentiæ imponit sibi, & sæpe aliis, atque iniquus tantummodo est censor vel meritorum suorum vel honorum. Quin contra Aristotelis sententiam, proniores in fastum animi mortalium, quam in contrarium vitium: quod præter sacras litteras, & quotidiana experimenta, etiam in extrema vulgi parte, satis nos redundans illa ex honore ac laude voluptas docet. Præter hæc plus detrimenti ex isto malo, quam ex neglectu honorum, in rempublicam fluit: dum homines arrogantes, & opinione sapientiæ ac meritorum tumidi, temere aggrediuntur quodlibet, quamvis longe sint impares; alios contemnunt ac premunt; miscent sæpe summa imis,

quoque emineant supra ceteros, ne grauiſſima quidem ſcelera horreſcunt. Inde odium Dei atque hominum: ſons priuatarum & publicarum calamitatum. Tales vero non ſunt animæ humiles abiectæque: a quibus non eſt, quod multum metuat ſibi reſpublica: quum & longe minoribus peccandi illecebris ſtimulentur, & facilius quoque poſſint comprimi. De cetero, ſicut nequaquam repugnat Chriſtianæ diſciplinæ, diſtingui ciues certis ordinibus, & ſuum cuique aſſignari honoris gradum: ita pariter fas eſt, exire e vulgo & contemptu, hucque tendere ſtudio virtutis, vt laudibus ac dignitate floreamus. Modo ne noſtris viribus, ſed diuinæ bonitati adſcribamus, quicquid ex illa humanæ felicitatis particula nobis accedit. Dignum quoque, quod iuuentuti commendetur, Iuſti Lipſii monitum, ex epistoſis ad Dominicum Baudium. *Hoc vnum, inquit, te moneo, ne præcipitent te tuorum vota, pia, ſed improvida: qui ad lapſum ſæpe impellunt, dum cogunt feſtinare. Ne ſperne honores, ſed nec auide appetere: & qui eo minorem te putant, quia cares, tu eos habe pro minutis. Subiungit deinde: Ego ita cenſeo, & fidele conſilium tibi do: abiicienda vana rerum, nihil calide nimis appetendum, quia omnia in tempore uehet hic & alius veſper.*

Veſper ille, tametiſi ſerus admodum (vt ad inſtitutum noſtrum, cuius cauſa hæc præfati ſumus, tranſeamus) aduecturus etiam eſt honores iamdiu meritos, conſultiffimo viro,

ANDREÆ STOCKIO,
Pegauienſi,

cauſa-

causarum patrono ultra viginti annos insigniter exercitato. Qui quod hucusque abstineret a petendis Academicis præmiis, non pudore indecoro atque inutili, non *αφιλοψυχία*, vilium animarum labe, fuit compulsus, sed grauiores habuit consilii sui causas. Nunc vero, quando nihil minus obiectari potest, quam *properando ad honores, eum, properauisse ad pœnitentiam*: tanto maiore cum laude candidatis nobilissimæ iuris Doctrinæ adscribetur, quanto plura sunt eius in tot mortales, quibus opera sua præsidio fuit, merita. In lucem hanc editus est Pegauix, anno M DC XXXIX, parentibus honestissimis. Pater fuit *Cassparus Stockius*, generosi Domini a Zscheppliz in iudicio Domsensi actuarius, & œconomix præfectus; mater *Sabina Schadorffia*. Intelligentes hi, nullam præstantiorem liberis hereditatem relinqui posse, quam indolem probe educatam; nihil in se desiderari passi sunt, quod ad mores & ingenium Candidati nostri formandum posceretur. Neque defuit piæ parentum curæ successus; sed diligenti eruditorum magistrorum institutione, eos in litteris progressus fecit, vt anno labentis sæculi sexagesimo ad celeberrimum, quod Lipsiæ floret, domicilium sapientiæ, & oraculum omnium scientiarum mitteretur. Ibi non temerario impetu, quod multi magno suo malo faciunt; sed exploratis prius, quæ a natura ac Deo acceperat, præsidii, vt & consiliis prudentum, ad diuini humanique iuris prudentiam appulit animum. Atque est profecto res maximi momenti, ex qua totius vitæ nostræ fortuna pender, quodnam scilicet eligamus studiorum

genus: in quo vbi semel erratum fuerit, saepe praeter seram poenitentiam parum relinquitur; aut saltem mutata instituti ratione, aliquot annorum iactura lui debet, quod ex temeritate peccatum. Quare matura opus est deliberatione: opus consilio sapientum, quique vires nostras satis nouere. Cum primis diuinum numen vocandum in partes: a quo vt expectandus omnis destinatum successus: ita eius solius permittendum arbitrio, quibus in rebus, quo in statu humanorum officiorum opera cuiusuis vtatur. Candidatus noster clarissimus, diuina ope subnixus, & studiose Academica studia aggressus, primo philosophiae tractatione, mox cultu ipsarum legum, frequentatis & publicis & priuatis scholis, nec non, quae subinde instituebantur, disputationibus, ita instruxit & locupletauit ingenium, vt in forum delatus latissimos inde fructus perciperet. Vidimus ipsi litteras, quas ab inclyto Senatu Academico commendatitias accepit: vidimus iuxta alias, excellentissimorum iureconsultorum, *D. Quirini Schacberi, D. Iacobi Bornii & D. Bartholomaei Leonhardi Schwendendorfferi* manu exaratas; in quibus de industria Candidati nostri, quamque honeste vitam egerit, luculentum testimonium perhibetur. Exacto Lipsiae triennio, in auspiciis negotiosae vitae iura ac priuilegia Notarii publici Caesarei solenni ritu accepit. Inde in Grynhaemensi ac Schlüttauiensi praefecturis munus Actuarii per biennium obeundo, tandem suasu prudentum Annabergam abiit, & litigantibus coepit operam suam, tum agendo tum defendendo, commodare. Neque vni aut inferioribus solum iudi-

judiciis adhaerit, vel tenuiorum clientum patrocinio
circumscribi voluit suas partes; sed in superioribus
quoque tribunalibus, praesertim in sede Electorali
Saxonica, maximis viris, nec raro in causis grauis-
simis, fidem ac sollertiam suam approbavit: ea
passim nominis celebritate, ut si numerum clien-
tum, quorum causas tot annis egit, heic inire-
mus, plane inuidiosus esset futurus. Nec quid-
quam a nobis dari affectui, loquentur honorifica
testimonia, quae non pauca eidem ab auctoribus
sat locupletibus impertita. Qui de honore dis-
seruerunt, fundamentum eius statuere ipsam utili-
tatem, quam ciuilis societas ex quolibet ciue, ac
genere ciuium potest haurire. Ut quo quisque
plus confert ad communis felicitatis incrementum
& conseruationem, eo quoque potiore loco sit
habendus. Quis autem non aestimet plurimum,
vel aduocatae munus, quod *directus hodie ad
ciuiles dignitates limes est*; vel eos ipsos, qui ut le-
ge XIV Cod. De aduoc. diuersor. iudicior. dici-
tur, *dirimunt ambigua fata causarum, suaeque de-
fensionis viribus in rebus saepe publicis ac priuatis
lapsa erigunt, fatigata reparant: nec minus prouid-
ent humano generi, quam si praeliis atque vulneri-
bus patriam parentesque saluarent?* Qui denique
*gloriosa vocis confisi munimine, laborantium spem,
vitam & posteros defendunt.* Nequaquam igitur
diu, ecquid annueremus, deliberandum nobis fuit,
quum superiore anno Ordini nostro significaret, &
nunc praesens repeteret Candidatus noster, velle se
etiam secerni populo, doctarumque praemio fron-
tium exornari. Quare statim admissus ad solennia
exa-

examina, & in iis probatus, consensu omnium in
panegyri publica sistetur, reliqua doctrinae suae do-
cumenta exhibiturus. Interpretabitur vero crasti-
ni decima, quod Deus felix faustumque esse iubeat,
titulum Codicis, *Quando liceat unicuique sine iudi-
ce se vindicare.* Cui commentationi haud graua-
tim intererunt, Rector Academiae magnificus, ma-
gnificus designatus Rector, & omnium ordinum
Professores celeberrimi, nec non quibus alias cordi
est, ingenia, studiis addicta, favore & applausu ex-
citari. Conuenient porro frequentes, laudisque
& exculi moris studium testabuntur, quotquot
ciuium nostrorum iurisprudentiae dedere nomen:
omnino persuasi, haud alia via satisfieri posse votis
parentum ac patriae, quam si strenue quisque sa-
lutaria superiorum monita, & exempla egre-
gia sequatur. P. P. D. II. Aug.

M DC XCI.



01 A. 6517


ULB Halle 3
002 937 565



TA-FL.

VST7 Retro ✓





27a

PROGRAMMA
IO. PHILIPPI SLEVOGTII, D.
in Academia Ienenfi antecessoris, Col-

legiique iuridici hoc tempore Decani
Premissum cursoria lectioni.

IENÆ, M DC XCI

Litteris GOLLNERIANIS.



iden
begi
lach
Aug
orge
e Fel
arat
s w
nen h
nschen
Ehrei
ler
mit
m sch
ohan

